

LUCTVOSA
SARMATICÆ LVNÆ
ECLIPSIS.

Lugubri Calamo

In Funere

ILLVSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI,

D. ADAMI
HIERONYMI

à Granow

SIENIAWSKI,

In Skłow & Mysza Comit. Comitis.

NOTARII CAMPESTRIS REGNI,

Generalis Terrarum Ruffiæ

LEOPOLIENSIS CAPITANEI

ADVMBRATA.

ANNO PARTVS VIRGINIS, M. DC. L. III.

134

In Stemma ILLVSTRISSIMÆ
SIENIAVIANÆ GENTIS.



Igneam flammam scandens super astra Pro metheus
Lunari mediam traxit ab axe facem,
Hinc nunquam remittet pleno noua Cynthia vultu,
Sed lacero rigidas monstrat in ore manus.
Sidere compleuit raptum TVA LVNA nitorem,
Plenaq; sic toto semper in Orbe manet.

A D
ILLVSTREM ET MAGNIFICVM DNVM
D. NICOLAVM

à Granow

SIENIAWSKI

In Skłow & Myfzà Comitem.

Vnicum GENTIS SVÆ Sydus

Dominum & Mæcenatem; Amplissimum.

Cum luctu in lucem Tuam prodeco ILLVSTRIS ac
MAGNIFICE DOMINE, prima Officij mei rudimenta,
Crudes inter Lachrymarum singultus, ad Tuos depositurus
pedes. Sinistrum sanè omen, & nisi sensus fallit, Vltra omnem ex-
torum dissensum, aut inescatam volucrum pertinaciam, Vtrinq; timen-
dum. Mibi quidem puerilem laruali veluti terriculamento auspi-
canti gratiam; Tibi meum probanti animum. Pone metum ILLV-
STRIS PVER; doloris non timoris Cause, pauentem stipant
mentem, nec trepidatione, sed querimoniis alendæ. Non adeo adhuc
inimica Sarmatiae Fata, ut ab ijs tibi tam impensè timere debeas.
Iam hæc nostris lassata, si non satiata malis, aut nostram quietem sunt
petitura, aut suam. Impleuit nuper, (utinam impleuisset nunquam)
immanè crudelitatis eorum hiatum, Lechicus Curtius, Inclytus Parens
Tuus, licet ominari; ut non possint, vel diu cessent, Te ferire. Arri-
pio Omen, & Luctuosam SARMATICÆ LVNÆ eclipsim, veluti
irruentibus obijciendam Fatis, ed audaciùs ad Tuam ILLVSTRIS
DOMINE depono LVNAM, quò extinctæ propiore. Præcipitanti
quidem id, & impari ad tantos ausus conatu; verum si cuius ferta

A 2

Coronaeq;

135

Coronasq; aris appendere, si malis etiam Poetis Carmen Alexandro
offerre concessum sit; cur non & aequitati videar operari, si qualem-
cumq; ingenij mei censum, velut in sacrum Numinis Tui ararium,
ingenuâ deuotione conferam? Non sum tanti fateor, vt Delphicum
in testem traham Apollinem; Hanc Tibi tantum ILLVSTRIS
ac MAGNIFICE DOMINE, dum in vires summis rebus maturas
exurgis, hereditatis partem gratiori magis quam doctiori calamo,
fero & apprecor, qua ILLVSTRIS Parens aeternitatem emit Tu
aeternum victurus es. Immortalem scilicet Magni Parentis gloriam.

ILLVSTRIS ac MAGNIFICÆ DOMINATIONIS TVÆ

Ad obsequia paratissimus seruus

Ac aeternum obstrictus cliens

IOANNES ALBERTVS IANICKI
DE IANICE.

LVCTVOSA SARMATICÆ LVNÆ ECLIPSIS.



Heu LVNA nostra perit! immò præit
serena siderum duetrix. Perit tamen, nam
quo inimica luci in Fatum Patriæ tra-
hunt Fata, pergit. In tenebras scilicet &
in noctes: nec futuro cuiusdam felix
præfagio POST TENEBRAS
SPERAT LVCEM. Amittit non
recuperandum amplius splendorem, cum quo, vel supra
Othomanicum factum REDIBAT PLENIOR. Ecli-
psatur ad luctuosam feralis terræ vmbra, satur splendoris,
satur gloriæ Cynthia. Rapitur Proserpina, non vna Ceres
gemit; sed vniuersa in gemitus abit Sarmatia. Ita lethalem
inter caliginem, luctum infausto sui sideris occasu instau-
rat Polonia. Acceleratur subitâ tanti luminis eclipsi dolor,
& lachrymæ vberioribus scaturientes guttis, debitum pal-
lescenti LVNÆ reddunt obsequium. Diffusus in Vniuersa
pectora mæror, multiplicatis cietur singultibus. Plena do-
loris omnia; Vbiq; Lachrymæ, vbiq; luctus. Phætonis
nè credas casum tanto luctu, aut Iphigeniæ celebrari sa-
crificium; vbi non ipsæ Pleiades fatali obducendæ corio,
nec solus Agamemnon, tempestiuo circumuoluendus pal-
lio, Poetis & Pictoribus, artis materiem sint præbituri.
Maior hic mæroris, maior eiulatum causa, quam vt paternus
cum sororino dolore stupor, coloratis verbis, aut verbosis
A 3 exprima-

136

exprimantur coloribus. Non exustum puerili audaciâ defle-
tur Cælum, Agamemnonis sub velo facies; Ultra hæc dolor
noster sapit. LVNA SARMATICA, si parum, LVNA
SIENIAVIANA, concedente in luctum Sarmatiâ, in
Occasum concessit. Quis credat? illud cæli cecidit decus!
ille splendor extinctus est! cecidit sanè extinctum decus
nostrum. Detracta è polo Thessalicis Versibus Dianna; na-
tuo iaculatrix Dea spoliata splendore: Quæ Circe hoc ausa
nefas? Eclipsata fatali mortis umbrâ Cynthia, & cui
ferales inter bellorum tenebras, cum Henrico Brusuciensi,
læta adscripserat Polonia, ILLUMINATIO MEA;
illumis iacet. Faceffat hinc falsum Vincentij Gonzagæ de
Lunâ Oraculum SEMPER VIVAM: en Lechica, cum
non elingue Memnonis in Voces suâ luce animâset saxum,
sed Patriam in Vitam, lucere & viuere desijt. O breue hu-
manum Viuere! O Magnis negatum stare diu! Occidit
vix ortus splendor, & cui accenso Sarmatica, immò Orbis
non suffecerunt hemisphæria, tantillus extincto suffecit
loculus. Huc illa gigantum decreuit proles! illa sub tan-
tillò marmore comprehensa fortitudo! Pinge iterum Pa-
uonem Tuam Magnanima Hispaniæ Regina: vt ad infi-
dentem orbi, in luctu nostro, adijciamus VANITAS. Quid
enim in Mundo, aut cum Mundo non vanum? Stant omnia
vt collabantur, nihilq; est tam stabile, quod non sua ali-
quando exedat vetustas. Euertuntur imperia, cadunt sce-
ptera, & quæ splenduerunt diu, vno momento, & splendere
& esse desinunt. Franguntur Diademata, triumphalia inter
Regnorum fragmna, ludit mors, nec cum suo fulgore in
æternitatem fasciantur fascies. Arces quoq; eadem manu
Architectante confurgunt, quâ cadunt; & elatos in fastum
Colossos, in suos sæpè victores, contumax demolitur ve-
tustas. Quid plura? feralis huius pompæ apparatus, nonne
Vanitatem loquitur? En quæ inimicas inter bellorum curas
secura stetit.

Hic

Hic sita LVNA iacet; non quæ Iunonis ob iram,
Ausâ est Herculeas, non timuisse manus.
Non quæ Thestiadem flammis absentibus actum,
Audacemq; canum morsibus, vltâ virum.
Ast geticus scelerata piæ cui signa Gradius,
Sub Dominos toties protulit vsq; pedes.
Vmbra reposta iacet tumulo, sed splendor Olympum
Delapsus, medium cepit ad astra locum.
Quisquis ades Lachryma, Regnis si digna polorum,
Digna est & Lachrymis LVNA POLONA tuis.

Tolle Tuam o Austriaca Leonora hederam, Cui in morte
Vilhelmi Mantuæ Ducis Mariti Tui adscribas, NOSTRI
SIMVLACHRA DOLORIS. Tristiùs Sarmatico in
polo arefcit Cynthia, quæ natuo spoliata decore luctuo-
sum merito trahat epigraphen LECHICI SIMVLA-
CHRA DOLORIS. Tuus est o Patria dolor, tuus casus
dolendus LVNÆ huius Occasus. Habes quod in tantâ
Fatorum iniuriâ iurè deslere possis. Deficit splendor tuus;
Sub inimicas nubes cogitur Cynthia: nisi dicas NON
MINVITVR SED LATET, breui suo Phænice in
nouam eruptura lucem. Est sanè quod in solatijs ponatur: sed
altiùs infixus fauciato dolor pectori, extorquet vel inuito
lachrymas. Frustra hic non profectura quærantur solatia,
vbi tam recenti Vulnere, animus in effusiores profusus eiu-
latus, nil minùs, quàm luctus remedium quærit: Ingemisce
Polonia; nisi à polis ambitum tuum decus gaudeas. Illa-
chryma Spoliata splendore Russia;

A c quicunq; legis tacitum sub Carmine nome N
D a Lachrymis gemebûde locû; nò Roma Quirin O
A usonias qui fecit opes Viduata gemesci T
M agnanimum nec Troia Ducem sua mænia circ A
Vindi-

127

Vindicat Argiū tractum remone; fat Hectō R
S ub tumulum memoranda tulit sibi præmia leth I
Hesperia fat Rector humus. Nouus Hectōr ab ort V
I n lachrymas gemitusq; vocat, noua signa dolori S
E rumpunt Phrygio frustra quærenda sub igne, a C
R omuleis metuenda rogis, vbi vulnere Parc A
O ccausq; nouum diro truculenta nitore M
N ec frangenda premit, iam Lechia mæsta su P inam
I n noctem prolapsa ruit, iam frigida Temp E
M ortiferas fundit tenebras, & sæua per Vmbra S
V ulnera ferre parāt, quæis LVNA POLONA vilescit T
S ic Lechicus subito per tristia nubila splendo R
A uratas damnabit opes? Sic Purpura nostr I
G rata poli, tetricas crudelius ibit in aura S?
R umpe minas lethi malè læta Polonia: pallo R
A ttonitas violare genas, frontisq; rubor E
N atiuo spoliare decus contendat vt Ar G o
O ptatam clausere diem tot lumina, lume N
V ertit, & ignotæ cedit tua Cynthia noct I
S perne triumphali cum Maiestate Tribuna L
I nuiçti Sol magne poli diademata spern E
E n tuus ille nitor, quo fortius Vmbra sub vn O
N on potuit Lechici radiantia signa tro Phæi
I niecto non ferre iugo; qui tutius ill O
A d biugos Phæetonte tuos delectus O L ympe
V olueret ore diem, subiti crudelia Fat I
S acra tulit, nimiumq; suo spoliatus honor E

K condi

K condidit extinctum sub tristia nubila lume N
I lla Machometicos multum depasta cruore S
I lla Sudermanico nimium metuenda Leon I
N atiuum cui Luna decus, cui signa Gradiuu S
S ub Dominos strauisse pedes gaudebat, honori a C
Z ona Suistales Lechico frigente sub Vrs A
K cum spoliis effudit opes: heu! luce sub i-P-sâ
L VNA Cocyteo plusquam data præda furor I
O ccidit, & stygiâ vix dum sub nocte nitesci T.
V erte tuas Radamante minas, nam tristis amic A
E urydicem sub lege datam si Orphæus ad Arcto N
T ænariâsq; fores duxit; cur Cynthia noct E
M ortiferâ depresso gemit? si sub Ioue gust V
I nferni Dea rapta cibi commissa; quid almo S
S æue Tyranne rapis sub tertia scepra decore S?
S urdus at ille animo, furdus stat mente; querel A
A spera Tartareum pectus non fregit, & egi T
C oncussum per vota Deum; quid fallor? in ort V
O ccausum mors dira parat? quo DIVA POLONI
M agna Poli prolapsa cadat. sic nostra perauda X
E rumpit super astra furor? quam LVNA nitor I
S æpè tulit getico, clade eclipsata gemesci T

FAMILIÆ, PATRIÆ, RELIGIONI,

Splendore, Armis, Virtute,

singulis,

Omnibus gloriâ.

B

HANC

138

HANC

A Maioribus hereditario acceptam iure,
HERES, & HEROS
Ad Tūmulum tulit.

Immò

Maiori **COMITATV** auctam,
Quem sibi negantibus plura fatis Natura
Infantiles subter fascias, spontè deposuit.
Primus inter **SIENIAVIOS COMES**
Ingentem **SIENIAVIANÆ GENTIS** gloriam,
Solutus sustinuit.

Palladis, dehinc Martis Alumnus;
Tritam Maiorum passibus arenam, non degeneri
pressit vestigio.

Ex domesticis claustris ad Castra vnus illi suffecit gradus,
Non in externa exempla ituro,
Sed externis in exemplum.

Tyronem simul cum prætexta deposuit;
Veteranum cum sago indutus,

Armis Militem animis **Ducem** egit.

Ad Ducatum nihil sibi præter clauam defuit:
Quamquam & sine hac,

Ducis officio in **MERLO** functus,
Horrentes inter hiemali rigore niues,
Stupendum vel ipsi Alexandro militaris tolerantia, reli-
quit exemplar.

Vnicās Sarmatici Martis Delicias
Non delicatis Fortuna fouit successibus.

Cafo

Cafo ad **KORSVNVM** fugatoq; exercitū
Scythici Martis præda factus,
Tam constanti animo hostiles pro Patriâ excepit **Catenas**,
vt dubium reliquerit;

Lætiorne **Lucius** suum torquem acceperat.
Noûa tamen veluti pœnitentiâ, Fatis admissum in se facinus
corrigentibus,

Breui redux in Patriam,

Inter spes omnium Regniq; vota,

Liberam captiuitatem pro triumpho duxit.

Attritis non mediocriter suis & Patriæ rebus;

Eloquentem semper prætulit manum,
nec in **Dialecticam** cum **Zenone** contractam.

Singulari in omnes comitate singulos ad se traxit;

Largus vbiq; immò **Argus**,

Tot oculis vidit, quot indigētes suis oculis **Milites**;
nec hos minùs dotauit beneficijs, quàm notauit calamo,

NOTARIVS CAMPESTRIS REGNI.

Solius liberalitatis parcissimus, quàm indeficientè coluit,
Opum prodigus, quas in vsum non animum admisit.

Titum cogita,

Etiam nunquam solenne suum iterantem

AMICI PERDIDIMVS DIEM:

Parem non effinges.

Plura beneficia numerauit Titus noster, quam vitæ dies,

Alexandrianâ spectandus annositate.

Honores mereri maluit, quàm gerere,

Virtutis hoc, hoc **Fortunæ** ratus.

Togam bis induit,

Ad Comitia Generalia Regni Terrestris Nuntius;

B 2

Ad lu-

139

Ad Iudicia Tribunalitia Regni Lublinitia Iudex;
Vtramq; cum Palmâ deposuit.
Sagum semel,
Hunc depositurus cum vitâ.
Singularis periculorum contemptor,
Nihil magis vnquam Curauit, quam Patriæ salutem,
Nihil minus, quam Suam.

Experimentum accipe,

In ZBARAZIENSI obsidione molestissimo affixus lecto,
Sagum non animum exuit.
Qualem porro Herodém putas,
Quem prius sua vita, quam Reip: amor relinqueret?
Abeſſe Valetudini quam Caſtris maluit;
Æquus inter ſe & Patriam Iudex,

QVI

Acceptum ab ea Spiritum ſpontè reddere voluit.
Cognoscendis Nobilium Cauſis conſtitutus,
Primam Fidei apud ſe Cauſam egit,
Quâ Eccleſia nè caderet,
Ipſe cadere ſi Fata ſinerent non dubitauit.
Verè LEOPOLIENSIS CAPITANEVS,
Deuotum Patriæ & Fidei Caput,
Leoninâ propè toties periculis deuouit audaciâ.

Itaq;

In immaturo adhuc pectore, matura iâ Fortitudo,
Æternitati maturum fecit:
Sufficientem rata annorum terminum,
Intra quem Alexander Magnus dici meruit.
Nec errauit;

Quippe

Quippe non ebrio Cleonis ſuffragio,
Pro magno maximum cælo intulit.
Eſt quod mirère Lector.
Quinti ſupra vigefimum anni geſta vides,
Tot ætatibus vix paria:
His tamen ſupparem crede,

QVI

Quâ ætate Alexander Orbem, ille & Cælum cepit:
Crateres puto paucos,
Hephæſtionem neminem habiturus;

Niſi TE ILLVSTRIS ac MAGNIFICE DNE.
Ab hoc Tu, (liceat enim mihi in tanto Domus Tuæ, &
Patriæ luſtu, Te vtriuſq; ſolatum, cum ſolatio alloqui)
Natiuæ non egenam lucis, effuſæ non indigam gloriæ, in
ipſo honorum plenilunio accepisti LVNAM. Ipſa Tibi
Natiuitas iuit in trophæum, quale vni tantum Constantino,
Vicinam Lunæ Crucem illuſtri nocte conſpicienti, aſtra
cecinerunt. Dignus es Naturæ viſus, cui non anguſtum
Orbis terminum, ſed Auguſtum. SIENIAVIANÆ
GENTIS concrederet decus. Deſudauit illa priuſquam
Te talem produxerit, rata, tantorum Heroum Heredi,
ſuum quoq; deberi ſudorem. Glorioſa tanti Generis inſi-
gnia, Naſcentem quoq; ſuo decorauerunt ambitu; vt niſi
inſignis, niſi glorioſus prodire potuiſſes. Auitæ, Paternæq;
Lunari accenſæ radio Cere; feliciori quàm Hecuba ſuo
Partiſi face, in Orbem eunti præluxerunt. Extinguenda
potius illi fuit, nè eam Ciuium extingueret Cruor; Tibi
ILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE, magis
accendenda vt citius eductus orbi, ſuum illi educeres ſplen-
dorem. Nec fallit nos præconcepta de Te opinio; Cui
cum ſua Lucina officioſa honorum explicuiſſet incan-
bula.

B 3

140

bula, mereri hos ita incipis, ut propè habere merearis. Id innata humanitas, id in primo ætatis Vere, supra pueriles annos autumnans maturitas, palam loquuntur. Perge igitur felix ad honores; tritamq; Maiorum Tuorum Viam, non degeneri preme vestigio. Quicquid præmiandæ virtuti in Regno nostro manet, Tuum est. Ducales belli Clauæ, ad non ignotas ex utroq; sanguine aspirant manus, per hostiles quoq; Cuneos, Tuam petituræ, dexteram. Regales Aquilæ despecto iam hinc Sole, Tuam auidius intuentur LVNAM; & vbi non ita pridem defixæ manebant, ibi sua defigunt lumina. Officiosa, nec Regalibus tantum assueta mensis pocula, Magnum Te expectant Pocillatorum: quibus hostilem potius Sanguinem, quàm Vinum. Tuo Regi sis propinaturus; Vel sine inuidiâ, ipsis in usum itura Turcis, ut in nocturnum deuoti lumen, expressum suo corpore cruorem, Tuæ sacrificent LVNÆ. Nec semel iam illa cruentum hoc abijs exegit Vestigal: Toties hostili suffusa arrubuit sanguine; Toties in medias delapsa acies, sacratâ hac pensione, Militares purpurauit enses. Hæc Te manent, hæc Tibi debentur præmia; abundè iam per Fortunam præmiato, quia tali producto Genere. Certare vel cum his nulli non par, immò non superior potes, quos Antiquitas Deorum prolatos sanguine, Deorum dignos censuit honore. Trahant alij longos Atauorum in sua decora Ordines; Excitent sepulchrali consopitam cinere Maiorum suorum gloriam; Ducant substructis tumulatam Mausolæis Parentum Immortalitatem; volatiles hæc scintillæ, vix inrer Lethales collectæ umbras, ad tantam extinguentur lucem. Iactet Alexander Iouem, Iapis Apollinem, Neptunum Theseus, aliosque alij ad sua incunabula reducant Deos; æquare ista lux SIENIAVIANVM non poterit splendorem, in umbrâ LVNÆ huius latet, Cui non rarò Patria fatalibus ere-

bus erepta umbris, victoriosum adiecit lemma, ILLVMINATIO MEA. Vos o Heroicæ Animæ hæc concernit laus; Vobis illuminata debetur Patria. Suum hæc Magnis Manibus post Fata licet exhibet honorem, & quam vos illi toties dedistis, hanc illa rependit vitam. Viuitis immortales, suoque iam erepti fato, fatalem effugistis rogam. Ducitis non morituram sepulchrales licet inter ruinas vitam, nec in succedentibus filijs vnquam morituri. Debitum vobis restituit decus, verus honorum Vestrorum & gloriæ Heres; in isto Vos iterum victuri Poloniæ, victuri Familix estis. Hoc à Te ILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE nocturnas licet subter tenebras ILLVSTRISSIMI tamen maiores, magisq; futuri gloriâ, quàm maturi ætate, expectant Ataui. Eam Tu illis in Patriæ lucem es redditurus vitam, quam illi Tibi in Tuam concesserunt. In Tua LVNA se semper victuros sperant, nec solum illam cum Philippo III. Rege Franciæ, qui ad suam hoc adiecerat Lemma, DVM VIXI præteritæ testem habent vitæ. Refer itaq; Magnanimum Tanti Parentis animum, ut refers vultum. Agnoscat in Te Polonia, quod Tu in Tuo agnoscis Genere: En ipsa Natura ductricem porrigit manum; non ociose quippe illa in isto vultu posuit vim quandam dignitatis, quæ & venerari nouit omnes, & ab omnibus exigit. Generosum spiritum cum generoso statim infudit sanguine, quem hi præcones mentis (exteriora inquam lineamenta) tam augusto corporis indice intuentibus narrarent. Viue igitur inter tot & tanta Naturæ ac Fortunæ beneficia, luctuosam Patriæ Tuâ luce eclipsim, luctum reparaturus gloriâ. Viue inter hæc trophæa, quæ Te sublimi ab ipsis incunabulis exceperunt triumpho; de inimicâ iam securior Fortunâ, cuius attritum in clade (Heudolor!) Gentis Tuæ telum, minus nocere possit. En Tibi ILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE.

Nacivus

Natiuus radiat nitor, |
Et partem rigidis Stemma laboribus,
Augustos decorat Lares.
Affulget medijs splendor in atrijs,
Assuetumq; Tuo Decus
Tecto, Sarmaticis ludit Honoribus.
Diffusas religans comas,
Virtus ad vigiles excubat angulos,
Et quæ vix alijs fuit
Hospes, spontè Tuis ædibus hospita
Præcelsam nitido Domum
Accendit radio, forteq; debito
Limen vestigio premit.
Nescit quippe diu SIENIAVIUS pati
Eclipsim radians honor,
Depellit tenebras sæpè volubiles,
Et vultus Patriæ notos,
Lunatis reuehit promptior ignibus.
Nescit Vestra Domus suum
Non seruare gradum; eurus at Inclyti,
Auxerunt Proavi diem
Scit splendere nouis clara nepotibus.
In Te nunc iterum nitet,
Affictamq; truci fulmine gloriam,
In laxos reijcit sinus,
Portatura suum stemma per ordinem.
Hoc Tu surgis in Æthera,
Lethæisq; Tuum nubibus eripis,
Sat digno Decus impetu.
Dum Te per populos garrula nobilem
Bigis gloria Candidis,
Et septem-referet fama-trionibus.
Quod opto, Quod voueo.

✱✱✱